



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XLIV. Si quis cum aliqua fornicatus fuerit, & frater eius ignarus duxerit
illam vxorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
CHRISTI
895.

cum eadem se polluerit, & postquam se pollutum esse cognouerit, confessus fuerit, & hoc se nescire cum iuramento confirmauerit: quia hoc pœnituit & confessus fuit, post peractam congruam pœnitentiam, legitimo vtatur matrimonio, ne iterum mordente crudelissima libidinis bestia faucietur, & in voraginem fornicationis incidere videatur. Nam vt Hieronymus ait, ferreas mentes domat libido. Mulier vero quæ tantum nefas commiserat, vltèrius pœniteat, atque continēs & innupta permaneat.

XLIV.

Si quis cum aliqua crimen fornicationis fecerit, & frater eius, eiusdem sceleris ignarus, duxerit illam vxorem, frater qui prior per fornicationem polluerat illam, quia non indicauit fratri vxorem ducenti, prædura arceatur pœnitentia & condigna castigatione. Qua peracta, si continens esse non possit, indulgentia subleuetur, ne libidini prosternatur, quatenus legitimo consoletur matrimonio. De muliere vero sancimus, sicut de ea in Neocæsarensi sancto Concilio diffinitum legimus capite secundo: Mulier, si duobus fratribus nupserit, abiiciatur vsque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam fructum pœnitentiæ consequatur, si promiserit, quod facta incolumis, huius coniunctionis vincla dissoluat. Quod si defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti. Episcopus vero potestatem habeat secundum conuersationem ipsius, aut adiicere negligenti, aut minuere pœnitenti. Tamen vltèrius continens & a viro disiuncta permaneat.

Concil. Tom. 24.

Pppp ij